REGI A SECRETIORIBVS CONSILIIS, PRÆTORI PARISIENSI INTEGERRIMO.

GRAVIVS ferrem, PRÆTOR INTEGERRIME, adeò votis meis invidisse publicam calamitatem, quæ virtutem tuam, & devotum Regi, ac Imperio animum illustravit: nisi optatissima exercitationis Medicæ opportunitas in eum me locum restitueret, unde me, Tibi maximè, cui plurimùm indè à prætextà debeo, tùm cæteris memorem, & gratum palàm profiterer. Nec sera cuiquam debet videri gratæ mentis significatio, quæ prima illuxit: & sunt hi, ut maturiores, ita delicatissimo tuo palato jucundiores futuri fructus; quibus, ut Medicis assolet, plurimi Soles gratiam addiderunt. Ij verò, quàm ex intimà animi medullà Tibi à me offerri debeant, abundè intelligent, qui scient; (& sciant omnes velim) mihi, & ratiunculis meis semper Te consilio, authoritate, ac sententià adfuisse. Vir illustris Patruus tuus, mihi tùm necessitudine, tùm studio conjunctissimus, mortalitatem expleverat: paternæ ipsius in me benevolentiæ patronus successisti: cui me spei destinàrat propensus ejus in me suum animus, eam tu spem fovisti, aluisti bonus, & augère in dies non desinis, ut ad frugem, quæ, si qua erit, tua profectò erit, perveniat. Sed privata ejusmodi ab excelsa illà mente proficiscuntur, unde tot, tàm eximiæ, tàm publicæ dotes, Romani Gallicique juris cognitio conjunctioque, vis ingenij & solertia incredibilis, facilitas audiendi, judicandi perspicacia, æquitas decernendi. Quid illa Reipublicæ scientia singularis? rerum externarum, quoad nostras maximè attinent, arcana notitia? rerum nostrarum tàm exacta, tàm diligens, tàm præsens, tàmque memor historia; nulli ut sua domestica res tàm intimè nota sit, quàm Tibi Callicæ; imò & exteræ omnes, quàm Regnorum facies, terrarum situs, quàm justi fines Principis & Civitatis cujusque; tùm quid uniuscujusvis illorum intersit, quid maximè velint, nolintve, penetralis, & ex adytis notitia. Nam quo in Varrone (Togatorum doctissimo) tàm exquisita rerum, & suarum, & peregrinarum cognitio fuit, scribente, meditante; quantam tu sic in numerato habes, ut ad omnem rerum occursum atque hominum, parata sit, & exprompta? Ex uberi & limpido fonte manare dicas, ita spontè fluit, èque re ipsa nascitur familiariter colloquenti. Et videlicet non fuit in mente Ludovici Regis Iustissimi divinitùs inclusa præsensio, ac cœleste augurium; cùm singularis tuæ Majore in Consilio suo integritatis, cùm insignis in Libellorum Supplicum magistratu æquitatis, in regendis jure & authoritate ditionibus, Lugdunensi, cæteris illustris ad exemplum justitiæ memor, ab amantissimà significatione dimissum, Vrbanæ Iurisdictioni præfecit, & suis propè manibus in tribunali collocavit. Præsagibat Regius animus, è corporis jàm nexu evolans, & divinandi certior, cùm propior divinitati; eum fore Te, qui illà in nocte Reipublicæ lumen bonis, & quietis Civibus præferres; constanti, & immotà invicti animi virtute stares intrepidus, & assiduis vitæ periculis opponeres caput- unum omnia contra tela.*- Prævidit Ille: Tu præstitisti: emeruisti justiùs, quàm vetus ille consularis, ut VIR IMMOBILIS IN REGEM FIDEI, non præsentis tantùm famæ suffragio, cui Vrbs, cui Vniversitas doctrinarum, cui ordo Medicorum acclamat; sed gratæ magis posteritatis judicio nuncupère.*

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS II. IANVARII

M. ANTONIO MORAND, Doctore Medico, Præside.

An Sanguinis conficiendi munere Iecur abdicandum?

LICET omnia, quæ vivunt vitam, sortita sint animam, quæ calore nativo carère non potest; suppetias tamen maximi momenti debuit calor ille, ipse cœlestis à duobus mutuari, alimento & aëre, ad tutelam & salutem. Vbi enim alimentum corpora nutrienda subit, refrigerat; quod homines experiuntur, qui cibo & potione, famem sitímque depellunt. Vnde minimè mirum videri debet, si, qui sicci sunt & ore jejuno, ferveant æstu, sitímque suam explère cupiant: cùm ea sit aëris indoles, ut, si motu vacet, incalescat; si verò agitetur, quemadmodùm contingit cibis in ventriculum descendentibus, refrigescat, donec caloris insiti splendor ac nitor illucescat, qui ea, quæ Natura desiderio traxit, recōdidit, & patulâ expectatione rapuit, his animosè fruatur & concoquat. Nec te prætereat, quoties aër in intima corporis penetrat, toties corpus, aut gravius, aut levius effici: sicque facultas animæ, penes quam omnibus animalibus inest vità gaudère, prima est & maximè communis; cujus est, & gignere, & alimentis uti: nec quicquam imminuitur aut augetur naturaliter, quod non alatur; & alitur nihil, quod non sit vitæ particeps: nec aliàs divinitatis, aut æternitatis enititur consors evadere.

QVEMADMODVM alimenti spirituosi principium os, guttur, pulmo: sic humidi & sicci, os, stomachus, venter; ut antiquioris alimoniæ, umbilicus. Quod si quæsieris munijs, quibus toti corpori famuletur? esculēta, poculentáve rectis fibris per stomachum assumit, mox obliquis retinet, totúmque tantisper undique complectitur, usque dùm, ingenità sibi concoctrice facultate, in succum, cremorémque substantiæ suæ similem, reddat: quod ubi confecit, exhibiturus intestinis, inferius orificium suum laxat, transversísque fibris, quod amplexabatur deorsùm protrudit; tātæque molis negotium, quod sedulitate quantumvis argutâ, compensari non potest, expedit exilibus venæ portæ surculis, qui omnes innumerâ ramorum serie in arctissimos ductus digeruntur; ita ut frequens illa vasorum soboles mesenterii membranis contineatur, quæ chyli tenuiorem defæcatiorémque portionem sugat ab intestinis, quam non sinit elabi, priusquàm eidem contulerit sanguinis rudimentum, præter vim illam inditam & quasi consignatam, quam habet, vivificum liquorem illum continendi, conservandi, ac distribuendi.

POSTQVAM in succum cibus reformatur, Iecoris cura succedit, uti confectum succū vertat in sanguinem; quod præstat, non modò calidi beneficio, sed maximè visceris ingenità virtute complet. Est enim Iecur non solùm naturalis spiritûs author, venarum principium, amoris & concupiscentiæ sedes; verùm etiam officina illius succi humorum utilissimi & charissimi, quo partium omnium vivacitas recreatur, & in quam cæterarum facultatum principatus innititur; cui, quemadmodùm natura felicitatem dedit, sic eidem industria virtutem comparavit. Situm est in regione dextrâ ventris, si sedem stabilem, domiciliúmque certum habuerit: costis spurijs contegitur, opplétque mole suâ cavitatem ad cartilaginem oblongam, quæ scutiformis dicitur: & licet peculiarem formam nullam obtineat, præter eam quæ bubulo jocinori similis est, aut quæ à conterminis partibus eidem imprimitur: inventi sunt tamen, qui ei nugaciter fibras affingant, penulásque multiplices affigant, focum, mensam, cultrum, aurigam, & unguem. Rectiùs collineant, apud quos, de communi sententiâ veterum, Iecur humidum succulentúmve constituitur ex eo, quod ventriculus confecit; donec, fœcundo velut imbre, totum corpus venarum ope madeat; quidquid novitia turba, ferinæ refectionis avida, secùs effutiat.

QVAMVIS hucusque, post tot exactos orbes, confectósque circulos, tranquillitate pacis & otij, Iecur humano generi regia munera largè satis & liberaliter miserit; hodie velut rerum vis atque potentia deficeret, quæ vel in minimis tota est, ut mos est hominum novitate delectari, erupère Pollinctores, Sandapilarij, Libitinarij, Vespillones & Siticines, qui, quod acerbissimum est & crudele, ausi sunt *vivo Iecori ducere funus*, &, ô rem lugubrem! epitaphia scribere posteris, ut forsan sepulchrum ejus legentes, non perdant memoriam munifici Prīcipis, quem gladio plumbeo verbísque jugulant, quotiescumque antiquam sanguinis conficiendi legem per vim & nefas eidem abrogare conantur. Atejulatu isto ferali subitâque pompâ, si tantùm abiret exulatum extispicium, & cultri victimarij mucro, quo tangebatur ac vulnerabatur aliquando caput extorum læti vel tristis ostenti, retunderetur; aut hæc sedes cana nimis vaticinij futurorúmque præsagium concideret, toleranter ferendum esset; dùm tamen, quo cœpit statu, naturæ jus, quod opinio non genuit, sed innata vis inseruit, constanter perseveret; cujus amor solicitus & anxius, diligentissimè cavit sanguinem Iecoris imperio subesse, quem numeris omnibus absolveret. Nec abs re in eo viscere tanto sua omnia ponit, & quasi consecrare videtur; cùm sinu thesaurum complectatur, quem salute propriâ metitur: alimenti etenim gratiâ sanguinem animalibus impertivit, quibus si multùm carnis concessit, ijs futuræ sunt angustiores venæ, rubrior sanguis, & venter exilior; ut, quibus parùm, ijs ampliora vasa sunt, viscera majora, sanguis atrior, & venter auctior; tandémque animalia ea timent & sapiunt, quibus, vel dilutior, vel frigidior sanguis obtigit.

IECVR ante cor ipsum extat, quemadmodùm rerum omnium causa lux ante solem, & umbilicalis vena sanguinem in ipsum primùm effundit; adeò ut, facto ibi vasorum undique concursu, sanguis, quem sinu fovent, fundi, ex quo manat & fluit, colorem exprimat; proptereáque donatum est Iecur carne durâ & rubicundâ; dùm, quem cor excudit & emittit, tenuior, calidior, flavior, & spumosior conspicitur. Manifestò etiam compertum est, animalia, quæ pulmone carent, sinistro tantùm gaudère cordis specu, ne ijsdem tubulis varius sanguis contineatur. Nec visa est oculis fortibus & eruditis porta vena cor unquam alluere, quod cava, ex quo tamen non egreditur, attingit, uti rem totam Iecori integram reservaret; quod ideò circumstant vesicula fellis, & renes, & ne quid excidat, consociatus lien. Hinc ergò procul, qui tutò volunt eum eximi, exuri, aut per diverberationem liquescere, nî vita ipsa pœna fiat: abeántque simul, qui temeritate, non consilio, pertētant oppugnare, vel etiam antiquare necessarium Iecoris usum, quem libero suffragio & unâ voce universus Medicorum ordo declaravit, providéque conservavit curiosa sæculi superioris, doctrinâ excultissimi, sedulitas; cùm prodidit, ad mesēterij centrum, grande quidem corpus inesse glandosum (Prometheus novus advertat) tùm ab insigni trunco juguli, quâ posterior sedes radicis venæ jugularis spectat, propaginem albam germinare aquei humoris plenam, quæ non longè ab ortu, unde scinditur, rursùm coït in unam, quæ juxtà sinistrum vertebrarum latus, penetrato septo transverso, deorsùm in medium lumborum propendet; præsertim, cùm Iecore læso, labes ilicò sanguinem inveniat; quod planè cernitur hydrope. Nec vita ducitur suaviùs, quàm ex firmâ Iocinoris valetudine, ex cujus partis principis salute plurimâ, cæterarum partium pendet incolumitas & robur.

Non ergo sanguinis conficiendi munere Iecur abdicandum.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Antonius de Sartes.
M. Daniel Arbinet.
M. Franciscus Lopes.
M. Carolus Baralis Med. Reg.
M. Ioan. Ant. Bourgaud.
M. Michaël Langlois.
M. Philebertus Morisset.
M. Iacobus Iouvin.
M. Hermanus de Launay.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS DE CAËN, Parisinus, Anno Domini M. DC. LIX.